

*de Pœnitentia Tyr. & Sidoniorum.*

13

rem apostatasse. Ad rationes verò quibus probat *Molinæus*, non agi hic de salutari conversione, utpotè suo loco plenius examinandas, reponimus, minùs dextrè procedere collectionem, à non conversione actuali, ad non seriam ad conversionem vocationem, à non electione ad non collationem mediorum ad productionem veræ conversionis suâ naturâ divinâ intentione efficacium.

X.

*Tertium & ultimum* assertionis nostræ membrum agit de naturâ pœnitentia, quam acturi fuisse Tyrri dicuntur; Pontificii explicant eam de actione quâdam pœnali, quâ qui pœnitentiam agit, corpus suum affligat, & ita vindictam de peccatis suis à semetipso sumat; Sententia nostra est hæc, agi hic de verâ cordis contritione, & fiduciali meriti Christi apprehensione, de resipiscentiâ externis signis demonstratâ; probamus eam 1. Ex contextu; Si impœnitentia Galilæorum tam graviter notata, extremoque exitio digna iudicata à Christo, consistebat in complacentiâ & approbatione peccatorum cum animo ea continuandi, ut & in contemptu Evangelii de remissione peccatorum per Messiam obtinendâ, multis virtutibus corroborati, consequens est pœnitentiam, de quâ h. l. agit Christus non dicere rationem pœnalem, & vindicativam, sed dolorem, detestationemq; peccatorum, nec non fiducialem gratiæ Evangelicæ applicationem. Atqui prius est verum. E. & posterius. Prius patet ex textu, in quo Chorazitis, aliisque exprobratur summa securitas, & contemptus gratiosæ per Messiam visitationis; non enim idèò culpantur præcise & formaliter, quia non sederunt in sacco & cinere, sed quia non egerunt pœnitentiam, òù è μετανοήσαν; Consequentia negari non potest propter oppositionem, quæ est inter impœnitentiam, & pœnitentiam; Quamvis autem voci μετανοήσαν hic adjectus sit θεοδιόριστος ἐν Σάνω καὶ Σποδαῖ, non tamen est designativus actionis pœnalis, & vindicativæ formam pœnitentiæ constituentis, sed expressivus veræ & genuinæ pœnitentiæ verbo μετανοήσαν intimatæ.

XI.

2. Quodcunque Vocabulum stylo Scripturæ usitato tale designat medium, quod intercedit inter meritum Christi verbo prædicato

B 3

cato